









1678.

1. Coccejus, Henricus: De jure offerendi.
- 2<sup>a</sup>, 6<sup>c</sup> Coccejus, Henricus: De antichresi 3 Sumpt. 1678<sup>o</sup> 1744.
- 3<sup>a</sup>, 2<sup>b</sup> Coccejus, Henricus: De eo, quod fit ipso jure

1679.

1. Coccejus, Henricus: De judicio morum.
2. Coccejus, Henricus: De eo, quod interest
3. Reichenbach, Christianus Ernestus: De regali viisum publicarum jure.
4. Textor, Joh. Wolfgang: De beneficio adhaerendi appellationi.

1680.

1. & 2. Coccejus, Henricus: De prelio affectionis et amicitatis. 2 Sumpt. 1708<sup>o</sup> 1715<sup>o</sup>
3. Coccejus, Henricus: De praescriptione immemoriali
4. Coccejus, Henricus: De representatione legatorum qualitate.

5. Textor, Joh. Wolfgang: De remedio L. si contudat.

1681.

1<sup>o</sup> Coccejus, Henr: De emphyteusi. 2 Insept. 1681-1715

2. Coccejus, Henricus: De praecedentia. 2 Insept. 1700-1715.

3<sup>o</sup> Coccejus, Henricus: De censu emigrationis 2 Insept.

4. Francus, Georgius: De saltu humens.

5 Spina, Joh. de: De conditionibus testamentariis  
eiusque vi et effectu.

6. Spina, Joh. de: De S. R. G. J. ... summorum  
subalternumque Tribunalium juris dictione ac con-  
currentia.

7. Textor, Joh. Wolfgang: De jure cereo et ferreo.

8<sup>a, b, c</sup> Thuelemarius, Henricus Güntherus: De ordine  
Capituli S. Georgii et Pilsenensis Curiae in  
Anglia. 3 Insept. 1683: 1740.

1682.

at. 1926  
2. Cocejus, Maurus: De legitima eius q. necessaria  
praesentatione. 2 Sept. 1682. 2. 1714

1715.  
2. 6. Cocejus, Maurus: De silentio 3 Sept. 1682  
2. 1750.

3. Spina, Joh. de: Theses inauguralis pro licentia  
summi in utraque iure honores — consequendi.

4. Textor, Joh. Wolff: Fasciculus differentiarum  
iuris civilis Romani et j. statutarii liberae S. R. I.  
reipublicae Ulmenensis.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





275.

29

23

8

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,  
 De  
**CONDITIONIBUS**  
**TESTAMENTARIIS EARVM-**  
**QUE VI ET EFFECTU,**

1681, 5

*Quam*  
 Auspice Numine.

PRÆSIDE


**JOH. de SPINA, J. U. D.**  
 & Instit. Profess. Ordin.

proponet

**JOH. LUDOVICUS Jordan**  
 Heidelberg.

*Ad diem X. Decembris MDC LXXXI.*

h. l. q. f.



**HEIDELBERGÆ,**  
 Liter. ABRAHAMI LUDOVICI WALTERI,  
 ELECT. & UNIV. Typogr.

scat.  
ent.  
&  
rax.  
chi-  
cum

En-  
no.  
la.  
or?  
ve-  
o:  
fe-  
&  
L-  
if-  
bi-  
f-  
i-  
s:  
o-  
r-

r  
l  
-  
e



SERENISSIMO. PRINCIPI.  
AC. DOMINO.

**D**N. **C**AROLO.

D. G. COMITI. PALATINO.  
AD. RHENUM. S. R. I.  
ARCHITHESAURARIO.

ET.

PRINCIPI. ELECTORI.  
DUCI. BAVARIÆ. &c.

PIO. FELICI. AUGUSTO.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.


VITAM. AC. FELICITATEM. INEXUPERABLEM.  
PRECATUR.

ET IN. DEVOTISSIMAE. SVBIECTIONIS. MONVMENTVM.

HOC. EXERCITIUM. ACADEMICUM.  
SACRUM. FACIT.

Humillimus & devotissimus Servus

JOH. LUDOV. Jordan.



De Conditionibus Testamentariis,  
Earumq; vi & Effectu.



Um haud rarò Testatores sub variis conditionibus vel Heredes instituere, vel legata aliq; relinquere soleant, atq; hæc res multas sapissimè difficultates habeat & disputationes Fori excitet, pauca quædam de Conditionibus & diversa Earum vi ac potestate hæc disputatione ordinariâ proponere lubet.

Conditio autem, ut à definitione exordiar, est eventus futurus ex quo suspenditur dispositio. Vel est adjectio, quâ aliquid in futurum eventum differtur; ex quibus jam facilè apparet, quòd hæc duo conditionem faciant Dilatio & Futurus Eventus; Hinc nulla est conditio, quæ in præsens aut præteritum tempus confertur, veluti, si Rex Parthorum vivit, si navis in portu stat *l. 10. in fin. ff. de Condit. Inst.* Quamvis enim talis conceptio verborum conditionis figuram habeat, vim tamen conditionis non continet, quippe non suspendit id, quod agitur, sed efficit, ut statim aut nihil debeat, si nempe falsa, aut purè debeat, si vera §. 6. *Inst. de verb. oblig. l. 100. & 120. ff. eod. ac* proinde sola particula, Si, conditionem non parit, nisi ad futurum eventum quoq; referatur, id quod semper spectandum, ubi quæstio an sit conditionalis dispositio, quoniã interdū absolutis ablativis, conditio quoq; inducitur *l. 109. ff. de Cond. & demonstr.* Sic in hoc etiam quod conditio omnem actum, cui adjicitur, jurisq; effectum suspendat, illa differt à modo, qui est, quando defunctus post acquisitum emolumentum aliquid fieri vult, *ex Gr. Titio centum do, lego, ut mihi monumentum faciat;* licet enim modus futurum tempus quoq; respiciat, non tamen suspendit id, quod sub modo relictum est; Regulariter autem particula, Ut, modum, quemadmodum particula, Si,

conditionem importat quod tamen aliquando fallit ac proinde in dubio respiciendum an disponens id, quod vel sub modum, vel sub conditionem cadere potest, voluerit impleri ante acquisitum emolumentum, vel ante dispositionem, an verò postea, illo casu erit conditio, hoc verò modus *l. 80. ff. de Condit. & demonstr.* quod si verò de voluntate Testatoris non constet, in dubio modus potius præsumitur inesse, quam conditio, Mant. *de Conject. ult. volunt. lib. 10. Tit. 5. n. 12.* Bart. & Bald. *ad l. 6. Cum nota Cod. de transact.* Maxima autem quoad effectum inter conditionem & modum differentia est, nam qui id, quod sub modo relictum est, petit, oblatâ & præstitâ cautione de implendo modo non repellitur, sed statim admittitur, illiq; datur Actio & agendi potestas, *l. 19. ff. de legat. 3. l. 40. §. fin. ff. de Cond. & demonstr.* Conditio verò cautionem non admittit, quia quod sub conditione relictum est, ad nos non pertinet, antequam existat, eâ autem pendente nihil debetur, sed tantum spes est debitum iri §. 4. *Inst. de verb. oblig.* Unde dies nec cedit, nec venit *l. 213. ff. de verb. signif.* in tantum ut ante illius existentiam tale relictum non possit repudiari *l. 45. §. 1. ff. de legat. 2.* nihil enim agit, qui ante conditionis existentiam repudiat *l. 13. ff. de acquir. heredit.* Quamvis igitur modus aliquando pro conditione observetur, *l. 1. Cod. de his quæ sub modo*, imo sæpè etiam conditio appelletur *l. 8. §. 7. vers. idem est ff. de Condit. Instit. l. 21. §. 3. ff. de annu. legat.* Ille tamen ab hac propriè separatur, quoniam, uti dictum, obligationem non suspendit,

Dividitur autem Conditio quòd alia sit expressa, alia tacita, quænam expressa conditio dicatur, ex iis, quæ præmissa sunt, patet. Tacita Conditio censetur, quæ licet evidenter non sit expressa, tamen vel ex verbis & mente Testatoris colligitur *l. Stichum 6. ff. de legat. 1.* vel à natura inest, ut si quis fructus nascituros legaverit, vel 3tio ab ipsa lege intelligitur, *l. 3. ff. d. legat. 1.* quæ propterea conditio juris dicitur. Secundi & tertii generis, quia extrinsecus, non ex voluntate Testatoris insunt, effectu juris ratione transmissionis pro conditionibus non habentur, *l. 99. ff. de Condit. & Demonstr.* Unde legatarius ante aditam hereditatem decedens hujusmodi legatum in heredem transmittit, quamvis ratione præstationis conditionale habeatur; aliud verò dicendum in tacita conditione, quæ ex verbis Testamenti colligitur.

ligitur quia hæc ex voluntate Testatoris descendit, *arg. alleg. leg. 99. ff. de condit. & demonstr.* Ex conjectura voluntatis Testatoris tacite conditio inesse etiam censetur, quando Avus filium & nepotem ex altero filio heredes instituit, & à nepote petiit, ut si intra annum 30, moreretur, hereditatem patruo suo restitueret, nepos verò intra hanc ætatem liberis relictis decessit, hoc enim casu fideicommissi conditio ex pietatis conjectura defecit, cum non sit verisimile, Testatorem alienas successiones propriis voluisse antepone *l. 30. in fin. C. de fidei-comm. l. 102. ff. de condit. & demonstrat.* Ex eadem ratione, si Pater liberos aut nepotes instituerit hæredes, iisq; alios substituerit, vel jusserit hereditatem suam aliis restituere, semper id intelligitur fecisse sub hac conditione, si absq; liberis decesserint, proinde liberis susceptis nec substitutioni nec restitutioni locus est *l. 6. §. 1. Cod. de Instit. & substit.*

Porro Conditio vel est possibilis vel impossibilis; Possibilis est, quæ & Naturâ & jure potest impleri, atq; hæc iterum triplex constituitur, Potestativa casualis & mixta *l. un. §. 7. in autem aliquid sub conditione Cod. de Caduc. toll.* Potestativa conditio est, quæ consistit in arbitrio & potestate ejus, cui sub ea quid relictum est, veluti, si Testator dicat, fundum Tusculanum do, lego, si Titio decem dederis; Casualis dicitur, quæ ex solo casu dependet, ut, si navis ex Asia venerit; Mixta duobus modis intelligitur, (1) quæ pendet ex facto honorati & alterius, *ex Gr. si nupseris Titio.* Sic etiam conditio, si Titium adoptaveris est mixta, quia ab unius arbitrio non pendet *Adoptio l. ii. ff. de Cond. Instit.* (2) Mixta est Conditio, quæ pendet ex facto honorati & arbitrio Fortunæ *Bart. in l. 1. n. 1. Cod. de Instit. & Substit.*

Quantum ad has condiciones attinet, illæ, sive sint casuales, sive potestativæ, sive mixtæ, utiliter non tantum legatis & fidei commissis, sed & heredum Institutionibus regulariter adjiciuntur, ut constat *ex §. 9. Inst. de hered. Instit.* & quia communiter quod potest fieri purè, id etiam sub conditione fieri potest, pauci enim sunt Actus, qui diem & conditionem non recipiunt *l. 77. ff. de Reg. juris.* Dico autem regulariter heredum quoq; institutionibus quamcunque conditionem possibilem utiliter adjici posse, quia hoc perpetuum non est, sed exceptionem patitur, nam ut olim Filius familias, ita jure novo etiam

liberi ceteri, sui heredes, non possunt sub alia quam potestativa conditione institui, nisi sub contraria conditione exheredentur; ne, si conditio deficiat reperiantur contra legem præteriti *l. 4. §. 6. ff. de hered. Instit. juncta lege ult. Cod. de liber. præteritis vel ex her.* Unde Paulus in *l. 83. ff. de Condit. & demonst. respondit*, Testamentum in quo filius sub ea conditione institutus est, si se filium esse probaverit, nullius momenti esse, cum hæc conditio non sit in ejus potestate. Cum itaq; eo casu, quo filius sub alia conditione quam potestativa institutus est, ille pro præterito statim habeatur *l. 28. ff. de liber. & posth.* Ejus autem filii, qui in potestate Testatoris est, præteritio Testamentum nullum & inutile reddat *l. 30. ff. eod.* ideo fit locus successioni ab intestato, & in proposito adhuc totum Testamentum, quoad omnia ejus capita, non quoad solam heredis institutionem nullum esse statuo, neque hactenus per *nov. 115. C. 3.* jus verus mutatum existimo. Cæterum in dubio, utrum nempe conditio in potestate filii sit nec ne, illius decisio permittitur arbitrio judicis, quoniam hæc censetur quæstio facti, quæ autem facti sunt, judicis arbitrio relinquuntur *l. 4. §. 1. ff. de Hered. Instit.* Quamvis igitur omne gravamen, omnisq; Conditio legitimæ appositæ ex *Constitut. l. 12. & 36. Cod. de inoff. Testa.* rejiciatur & pro non scripta habeatur, exinde tamen non licet concludere, quod hodie Institutio filii familias sub qualibet conditione facta subsistat & valeat, nam quod Justinianus dictis legibus in legitimâ sancivit, id ad Heredis institutionem non est trahendum, quia non de liberis institutis sed de ex heredatis constitutio concepta est, quibus olim legitima, ad excludendam querelam, quovis titulo relinqui potuit, ita tamen ut ex dicta Justiniani constitutione omne onus, omnisque conditio removeretur, cum verò hodie legitima non alio quàm Institutionis titulo relinquatur, per dict. *nov. 115. c. 3. pr.* existimo potestativam legitimæ appositam removeri & valere Institutionem, non verò si sub casuali vel aliâ conditione, quæ in potestate filii non est, facta fuerit, quia sub tali conditione Institutus statim habetur pro præterito, ut jam dictum, alia ratio est, ubi in defectum talis conditionis sit ex heredatus, quia hic filius nullo tempore præteritus reperitur. Licet autem alioquin filius purè sit exheredandus, *l. 3. §. 1. ff. de Liber. & Posth.* & certo judicio ab hereditate vel successionem Patris removendus

dus per l. 18. ff. de Bonor. possess. contra tabulas, nihilominus tamen  
 hæc forma exheredationis admittitur, quoniam sub contraria conditio-  
 ne est institutus, quæ si existat, perinde accipitur, quasi purè ei here-  
 ditas relicta esset. l. 26. ff. de Condit. Instit. Sed ulterius effectus con-  
 ditionalium hujusmodi dispositionum inspiciamus: in genere jam  
 traditum est, quod suspendantur interim & existente vel impletâ con-  
 ditione demum vires capiant; ex eo autem tempore res perinde ha-  
 betur, ac si ab initio purè factæ fuissent, l. 5. §. 2. ff. quando dies legat.  
 vel fidei com. ced. l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend. Conditio itaq; dispo-  
 sitioni adjecta vel expectanda vel implenda est, & quidem primo ad-  
 implenda in solidum, quia non potest scindi neq; pro parte impleri  
 l. 56. ff. de condit. & demonstr. interdum tamen ex voluntate Testatoris,  
 quæ in conditionibus primum locum obtinet & eas regit, quæ con-  
 juncta sunt scinduntur & pro parte impleri possunt, ut videre est ex  
 l. 44. §. 9. ff. eoq. Deinde impleri debet in forma specifica, non æqui-  
 pollenter per l. 44. l. 55. & 94. ff. de Condit. & demonstr. nisi ex disposi-  
 tione legis aliud inferatur, vel Testator ipse effectum, non modum &  
 formam respexerit, tunc enim sufficit quod effectus ille sequa-  
 tur, nec refert, quo modo sequatur, arg. l. si Mater. 3. Cod. de Instit. &  
 subst. Mantic. de Conject. ult. volunt. l. 11. Tir. 16. n. 4. & Dd. ibi alleg.  
 Verum aliquando etiam conditio non impleta habetur pro impleta,  
 quod pro diversitate conditionum dijudicari debet. De Casuali, com-  
 munitatis regula est, quod deficiente conditione casuali deficiat legatum  
 vel fidei commissum, merè itaq; casualis conditio quocunq; modo de-  
 ficiat, impedit dispositionem, quia in tali conditione Testator solum  
 casus eventum, & nullo modo factum honorati respexit. De Pote-  
 stativa verò notandum, quod pro impleta vel impossibili habeatur,  
 quoties per eum non stat, cui injunctum, ut impleat l. 3. l. 8. §. penult.  
 ff. de Condit. instit. l. 24. ff. de Condit. & demonstr. l. 54. §. 2. ff. de leg. 1.  
 ac proinde conditio merè potestativa quocunq; modo deficiat absq;  
 dolo seu facto onerati non impedit dispositionem, in hujus enim ge-  
 neris conditione Testator non respexit nisi factum onerati, ei autem,  
 per quem non stat, quo minus faciat, quod per eum fuerat facien-  
 dum nihil imputari debet, per Cap. imputari 41. de Reg. juris n. 6. Nisi  
 is, qui debuit implere, fuit in mora implendi, nam tunc licet postea  
 imple-

implementum casu impediatur, conditio quæ semel videtur defecta non habetur amplius pro impleta Bart. in l. 1. n. 1. Cod. de Inst. & Subst. & Baldus ad eandem l. n. 8. Sic etiam pro impleta habetur conditio, quoties per eum, cuius interest illam impleri, fit, quo minus impleatur, quia in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quò minus fiat l. 39. ff. de Reg. jur.

Quantum ad mixtam conditionem, illa quatenus à voluntate dependet, impleri, & quatenus à casu, evenire debet, ac proinde si deficiat non habetur pro impleta, quia Testator non solum factum honorati sed & casum respexit, nisi facto hominis intercedente non potuit impleri, tunc relictum non extinguitur, arg. l. 25. §. 2. in fine, ff. ad Sc. Treb. ne scil. factum cuiusquam alteri damnum adferat: quoad eam verò, quæ pendet ex facto duorum, onerati & alterius, media quædam via eligitur, & distinguitur, utrum casu deficiat, an culpa aut facto alterius in cuius personam talis conditio collata est, si deficiat casu fortuito, conditio non habetur pro impleta, sed vitatur dispositio ac proinde relictum extinguitur, l. 31. ff. de Condit. & demonstr. l. 4. Cod. de condit. insert. Si culpa vel facto alterius deficiat, habetur pro impleta & non vitatur dispositionem l. 13. ff. de Annuis leg. sic hereditas relicta sub conditione si Titio nupseris, debetur quando Titius recusat nuptias, ac proinde voluntate ejus matrimonium fuit impeditum, quod si verò Titius moriatur, atq; hac ratione nuptiæ contrahi non potuerint, hereditas non debetur, l. 31. ff. de Condit. & demonstr. l. 23. ff. de Condit. instit. Quod si implementum conditionis impediatur facto tertii, in cuius persona non debuit impleri, tunc distinguendum, utrum Tertius ille præstet justum impedimentum, & hoc casu, quia contra eum nullus est regressus, conditio habetur pro impleta; si injustum præbuerit impedimentum & est solvendo, non habetur pro impleta, quia ipse conveniri potest, si non sit solvendo, habetur pro impleta, quia frustra agitur adversus eum cuius inopia intentionem agentis excludit, l. 14. ff. de Condit. Instit. Mantic. de coniect. ult. volunt. l. 11. c. 16. n. 25. Præterea sciendum, quod conditiones casuales etiam vivo testatore impleri possint, potestativæ verò regulariter non nisi post mortem testatoris, scienter, certoque iudicio, non fato adimplendæ sint l. 2. ff. de Condit. & demonstr. nisi talis con.



conditio sit, quæ ex se iterabilis non est, *ex gr.* si legatum alicui sit relictum sub conditione, si matrimonium contraxerit, hanc enim semel & vel vivo testatore impleri sufficit, *l. 10. pr. ff. dict. tit. l. 7. C. de Inst. & subst.*

Quod si conditio in non faciendo consistat Legatarius statim ad legatum admittitur, si cautionem, quæ à Mutio scævola Inventore, Mutiana dicta, interposuerit de restituendo legato cum fructibus, si contra conditionem factum fuerit, *l. 7. pr. ff. de Condit. & demonstrat.* quia voluntati testatoris satisfieri intelligitur, modo ne peccetur contra conditionem, quod solum testator creditur spectasse. Vinn. *Comment. in Instit. de verb. oblig. ad §. 4. n. 4.* quod si tamen conditio talis sit, quæ vivo legatario impleri possit, non impletur præstitâ cautione Bart. *ad l. 106. ff. de Condit. & demonstr.* In contractibus autem hæc cautio locum non habet, sed in illis expectandum, donec certum sit fieri amplius non posse, quod in conditione comprehensum, *l. 99. §. 1. ff. de verb. oblig.*

Conditioni æquiparatur dies incertus, nam & hic obligationem differt; Dies autem dupliciter incertus est, vel prorsus & simpliciter, cum non constat nec an venturus sit, nec quando, aut secundum quid, cum alterutrum incertum est, & vel ignoratur an venturus sit dies duntaxat, *ex gr.* Titius cum erit annorum 14. Heres esto; vel ubi non constat tantum, quando venturus sit, qualis est dies mortis cuiusque; primo & secundo modo dies semper pro conditione est *l. 21. & l. seq. ff. quando dies legat.* ultimo autem casu tunc tantum pro conditione accipitur, si appositus fuerit extraneo, quia fieri potest, ut qui sub eo heres scriptus est ante Extraneum moriatur, atq; ita excidat hereditate, utpote deficiente conditione *Ex gr.* Titius heres esto, cum semprenius morietur? Quod si ipsi heredi adscriptus non facit conditionem, sed quasi dies certus detrahatur & institutio pro pura habetur arg. *l. 9. C. de hered. Instit. l. 4. pr. ff. quando dies legat.* quia conditio est, quæ potest deficere vel impleri. Hæc de possibili conditione in genere sufficiant, ad impossibilem jam accedo; Dicitur ea propriè, cui natura impedimento est, quo minus existat, cæterum & ea impossibilis censetur; quæ idè impleri non potest, quoniam jus resistit, atq; hæc impossibilis de jure

B

appel-

appellatur, hujus generis habentur, quæ contra bonos mores, contra leges, vel edicta Imperatorum jubentur, & quæ pietatem verendum vel existimationem nostram lædunt, nam hæc nefacere quidem nos posse credendum est *l. 14. & 15. ff. de Condit. Instit.* sunt præterea quædam facta per se possibile quidem, sed quæ casu vel adjectione temporis possunt fieri impossibilia, sic Romam pervenire possibile est, sed Heidelbergâ biduo Romam pervenire impossibile est, quas condiciones impossibiles de facto appellare solent; similiter etiam multi Dd. inter species Conditionum impossibilium solent referre eas, quæ perplexæ reperiuntur. *ex gr.* Si Titius heres erit, Seius heres esto; De quibus singulis videbimus. Condiciones Naturâ, sive per se, sive propter circumstantiam aliquam adjectam, vel etiam quæ jure impossibiles, vitiantur, non vitiant, hoc est detrahuntur ac pro non scriptis habentur, non verò vitiant ipsam dispositionem Testamentariam, vel aliam quamcunque ultimam voluntatem §. 10. *Instit. de Hered. Inst. l. 1. l. 6. l. 20. pr. ff. Condit. Instit. l. 12. §. 1. l. 104. §. 1. ff. de leg. 1.* generaliter enim, quicquid in Testamento scriptum impossibile est, placet nullam vim habere *l. 45. ff. de Hered. Inst.* Hoc tamen secus est in Contractibus, quippe qui nullius momenti sunt, & in totum vitiantur appositâ conditione impossibili, §. 11. *Instit. de inutil. stipul. l. 31. ff. de Oblig. & Actio.* Ratio differentiæ consistit primo in favore ultimarum voluntatum, deinde quod illi qui contrahendo apponunt aut apponi patiuntur eam conditionem, quam sciunt impossibilem esse, censeantur eâ cogitatione, ut nihil agi existiment, sed potius jocari & ludere, verum hæc præsumptio cessat in illo qui in ordinatione ultimæ voluntatis & cogitatione mortalitatis versatur, ac proinde potius hæc conditio impossibilis sub colore mendii detrahitur; cæterum si pro parte sit possibilis, pro parte vero impossibilis, pro parte debet impleri *Bart. in l. 1. num. 10. ff. de Condit. Instit.* A conditionibus autem impossibilibus distinguendæ sunt Condiciones difficiles, licet propter Personæ, cui adjectæ sunt, qualitatem vel aliam causam videantur impossibiles, nam quæ sunt hujus generis non vitiantur, sed vitiant, si non impleantur; exemplum proponitur in *l. 4. §. 1. ff. de statu liberis*, ubi servo libertas relicta hæc conditione si heredi millies dederit, hic non detrahitur conditio.

ditio . sed inutilis est datio libertatis. Dictum jam sive naturâ , sive jure impossibilis sit conditio apposita, illam favore ultimarum voluntatem detrahi, jure autem Impossibilis conditio censetur non tantum si aliquid turpe contineat, sed & si contra legem vel Edictum Prætoris aliquid præscribat; Hinc si sub conditione jurisjurandi aliquid relinquatur, *ex gr.* si Testator sempronio 200 aureos legaverit, si juraverit, se ei monumentum ædificaturum, conditio hæc pro turpi habetur, ac proinde remittitur *l. 20. ff. de cond. & demonstr. l. 112. § ff. de legat. 1.* & ratio ejus hæc indicatur, quoniam multi quâdam subtili reverentiâ etiam verû jusjurandum præstare non audent, alii contemptu religionis ad jurandum sunt perquam faciles *l. 8. in pr. ff. de condit. inst.* Licet autem ipsa conditio jurisjurandi remittatur, nihilominus Legatarius facere cogitur quod erat jussus jurare *l. 26. pr. ff. de cond. & demonstr.* Sic etiam illa Conditio, si non nupseris, pro turpi habetur & rejicitur, quia inhonestum visum est matrimonia constringi & inhiberi *l. Titia 134. in princ. ff. de verb. oblig. l. penul. in fin. Cod. de sponsal. l. 14. C. de Nupt.* adeo ut si liberta patrono juraverit se non nupturam jusjurandum illud remittatur, *l. 7. in fin. ff. de jure Patron.* Ex quibus apparet Testatorem frustra virginitatem in suo testamento imperare, quamvis olim uxori & filiz suæ viduitatem & cælibatum indicere potuerit hoc effectu, ut si nupfissent, legato sub ea conditione relicto exciderint, quam potestatem postea temporis lex Julia Papia de maritandis ordinibus & lex Julia Miscella antiquarunt. verum hanc posteriorem, quæ viduas respiciebat, Justinianus iterum sustulit & per Novell. 22. *cap. 44.* constituit, ne talis conditio adscripta, quæ viduitatem à secundis nuptiis injungit rejiceretur, sed valida censeretur, non solum, si maritus uxori legaverit sub conditione si ad secundas nuptias non transierit, aut è contra si marito legaverit uxor, sub conditione si aliam uxorem non duxerit, sed & si quivis Extraneus sub ea conditione, quæ secundas prohibet nuptias viro aut mulieri hereditatem vel legatum Testamento reliquerit; ideoque muliere iterum nubente, vel viro iterum uxorem ducente Hereditas vel legatum non debetur, utpote deficiente conditione, si verò ante repetitas secundas nuptias hereditas vel legatum petatur, tunc Mutiana cautio præstanda est de hereditate vel legato restituendo, si secundæ nuptiæ contractæ fuerint.

rint. d. Nov. 22. Cap. 44. Porro sunt & alia conditiones, quae derisoriae dicuntur & non attenduntur, veluti quae sepulturam tollunt, ut si Testator dixerit, Titium heredem instituo, si reliquias meas in mare projecerit, nam ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam non valere Papinianus scribit l. 113. §. fin. ff. de Legat. 1. Similiter si conditio adjiciatur, ut haeres immensos in funus faciat sumtus, voluntas testatoris sequenda non est, si res justam sumtuum rationem egrediatur l. 14. §. 6. ff. de Relig. & sumt. funer. l. 50. §. 1. ff. de petit. Hered.

Ultimo denique de conditionibus, quas perplexas vocant, sciendum, quod illae ultimam voluntatem vitient, non vero vitentur. l. 16. ff. hoc tit. quoniam haec efficiunt, ut res exitum habere non possit.

FINIS.



VD-18

ULB Halle 3  
003 487 318




SL

WDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

ORDINARIA,  
NIBUS  
IS EARVM-  
PECTU,  
ine.  
A, J. U. D.  
Ordin.  
S Jordan  
DC LXXXI.  
GÆ,  
I WALTERI,  
gr.  
AMMONI,

23

1681,5

786

